

juncta Glossa ꝑ. *Sui beneficij*, exinde inferente, quod solus Papa possit dispensare in pluribus curatis. Accedit concilium Tridentinum, sess. 24. cap. xvii. de Reform. statuens, « quod in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur : quod quidem, si ad vitam ejus, cui conferatur, honeste sustentandum non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens — eidem conferri. » Et consequenter, ponderando ly, « aliud simplex, » nequit habenti beneficium curatum, per episcopum conferri aliud curatum. Neque enim episcopus potest dispensare contra jus commune, nisi in casibus sibi a jure concessis, c. *Dilectus*. 15. juncta Glossa ꝑ. *Permissa. de Temporib. ordination. cum similibus.*

264. *An is possit dispensare in pluralitate beneficiorum, occurrente casu magnæ necessitatis?* — Excipitur tamen casus magnæ necessitatis, vel utilitatis, in quo Papa consuli, atque dispensatio ab eo peti non potest. Tunc enim episcopum posse dispensare in pluralitate beneficiorum curatorum, docet Abbas cit. c. *Extirpanda. in Repet. § Qui vero.* n. 38. h. t. Hoieda, ubi supra, n. 22; Rebiffus in *Praxi benefic.* tit. de Dispensatione ad plura beneficia. n. 30. citans Archidiaconum in c. *Licet canon. de Election.* lib. VI. Layman, lib. IV. *Theol. mor. tract. II.* cap. vii. n. 9; Pirhing, h. t. n. 183. et alii. Qui tamen post Garciam cit. part. XI. cap. v. n. 340. et alios, notant, rarissime talem casum accidere posse, commode enim necessitatibus ecclesiarum subveniri poterit per constitutum vicarium temporale, qui interim regat ecclesiam vacantem, donec dispensatio apostolica advenit.

265. *Episcopus potest dispensare ob tenuitatem v. g. reddituum, ut quis una cum præbenda canonicali obtineat personatum, vel dignitatem.* — Resp. III. Potest tamen episcopus ex justa causa, ut puta, ob insufficientiam reddituum pro honesta sustentatione clerici, dispensare, ut quis in eadem ecclesia una cum præbenda canonicali possit obtinere unum personatum, vel dignitatem, aut præposituram, sive administrationem, vel officium perpetuum. Textus, Glossa ꝑ. *Nisi unicum*, et doctores communiter, cap. un. de *Consuetud.* in 6. Idipsum admittunt doctores de statuto, vel consuetudine ecclesiæ, juxta Glossam proxime citatam. Quinimo plures volunt, nulla hodie opus esse dispensatione, etiam episcopal, ad talia beneficia (utpote difformia sub-

eodem tecto) simul obtinenda, ac retinenda ; cum jus ipsum istud concedat, dummodo Beneficiarius, spectato statu suo, eidem vere indigeat pro sua honesta sustentatione. Rebiffus cit. tit. de Dispensatione ad plura Beneficia. n. 29. Layman, cit. n. 9. allegans alios; et concordant dicta superius n. 210. et n. 238. et 239.

266. *Vel ut quis habeat duo beneficia simplicia, aut curatum cum simplici.* — Hoc ipsum ampliatur ad duo beneficia simplicia, quorum, neutrum, vel saltem non utrumque, personalem residentiam requirit. Item ad beneficium curatum tenue, cui proinde ad honestam clerici sustentationem potest per episcopum adjungi aliud beneficium simplex sufficiens, personalem tamen residentiam non requirens; juxta textum expressum in concilio Tridentino, sess. 24. cap. xvii. de Reform. cuius verba n. 263. jam sunt allegata. Quod tamen intellige, dummodo episcopus nulli conferat duo beneficia uniformia, etiam simplicia, sub eodem tecto; conformatum dictis supra § p̄eeced. n. 240. et seqq. Simulque ultra duo nulli conferat. Quod ultimum ut magis intelligatur.

267. *An episcopus habenti duo beneficia, etiam simplicia, sed honestam sustentationem clerici non sufficientia, possit conferre tertium.* — Antiquitus id licitum fuit. — Quæritur IV. An episcopus habenti duo beneficia, etiam simplicia, et ad honestam clerici sustentationem non sufficientia, possit sua auctoritate ordinaria conferre tertium? Resp. I. Antiquitus, sive ante concilium Tridentinum, licitum fuit, ex dispensatione episcopi plura beneficia, alias tamen compatibilia, simul retinere, etiam ultra duo, usque ad congruam sustentationem. Ita Abbas c. *Cum jam dudum.* n. 8. et c. *Extirpanda. in Repetit. § Qui vero.* h. t. Alfons, Hoieda *Tractatuum*, tom. XV. tract. de *Beneficior. incompatibilitat.* part. II. cap. i., n. 15 et 35. Navarrus, consil. 19. n. 2. asserens, sententiam Abbatis communiter esse receptam. Pirhing, h. t. n. 187; Garcias part. II. de *Beneficiis*, cap. v., n. 306, citans alios. Ratio est, quia nullo Jure antiquo istud reperitur prohibitum.

268. *Secus de facto, sive post concilium Tridentinum.* — Resp. II. De facto, sive post concilium Tridentinum sess. 24. cap. xvii. de Reform. potest quidem ordinarius habenti beneficium tenue, seu non sufficiens ad ejus honestam sustentationem, conferre secundum; sed non ultra duo ad effectum retinendum.

IX. DE DISPENSATIONE.

CONSUETUDE CIRCA, ETC.

515

tionis. Ita Garcias part. II. de *Beneficiis*, cap. v. n. 310. et seqq. ubi plures refert declarationes sacrae congregationis concilii Tridentini; quarum secunda, quam allegat, si habet: « Episcopus potest conferre secundum beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem : sed si duo non sufficerent, non posset conferri tertium absque dispensatione apostolica. » Ceteræ plures declarationes, per eundem Garciam adductæ, tradunt hoc ipsum. Concordat Barbosa part. III. de *Offic. et potest. episcop.* allegat. 62. n. 6. et lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XIII. n. 180. citans pariter declarationem sacrae congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum. Pirhing h. t. 187. id ipsum probans ex declaratione sacrae congregationis concilii in cap. xvii. sess. 24. quæ verbatim concordat cum priori per Garciam relata.

269. *Idque probatur ex eodem concilio, junctis declarationibus sacrae congregationis.* — Eamdem sententiam, ex professo a se examinatam, tenet Fagnanus in c. *Cum jam dudum.* n. 31. et seqq. de *Præbend.* eamque distinctim, refutatis pluribus antiquorum opinionibus, probat ex novissimo decreto concilii Tridentini, sess. de Reform. ubi (omissis nunc prioribus ejusdem verbis) statuit: « ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur : quod quidem, si ad vitam ejus, cui conferatur, honeste sustentandum non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. » Siquidem saec. synodus verbis, « statuit, ut in posterum, » etc. induxit jus novum, juxta notata per Glossam in Clem. *Eos qui.* ꝑ. *Deinceps. de Regularib.* Deinde illis verbis, « Unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, » junctis sequentibus verbis illis, « Aliud simplex, » concilium constituit regulam, ut unum tantum Beneficium singulis conferatur: et permittit secundum in eo solum casu, in quo primum est insufficient. Atque hanc esse mentem sacri concilii Tridentini, patet ex declarationibus sacrae congregationis, quæ teste eodem Fagnano cit. c. *Cum jam dudum.* n. 71. h. t. saepius in casibus contingentibus respondit, « Episcopum habenti unum simplex beneficium, quod non sufficiat ad ejus sustentationem, possit aliud simile conferre, sed non posse ultra duo absque dispensatione Sedis apostolice, etiamsi omnia simul ad illius sustentationem non suffi-

ciant. » Ita Fagnanus, olim eidem exerce congregatiōni a secretis, sicut plures de premissis cognoscere preditus. 270. *Afferuntur auctores, et rationes oppositorum sententiarum.* — Nec obstat, quod oppositam sententiam teneant Navarrus, consil. 10. de *Præbend.* Flamin. Parisius, lib. III. de *Resignat. benefic.* cap. I. n. 141. et Alfons. Hoieda cit. part. II. de *Incompatibilit. benefic.* cap. I. n. 15. et seqq. ac praesertim n. 36. ubi assortit, hanc opinionem esse receptam, et approbatam a stilo curiae Romanae. Nam videmus inquit) quod post publicationem concilii Tridentini, et ejus confirmationem, Romani Pontifices, nempe Pius IV. Pius V. et Gregorius XIII. concesserunt saepius, et saepissime uni beneficiario multa beneficia simplicia residentiam non requiringent simul. Adduntationem, quia habere plura beneficia certe roquin compatibilia, quando duo ad honestam sustentationem non sufficerant, licebat jure antiquo, juxta dicta concl. p̄eeced. et istud non est motatum per concilium Tridentinum loc. cit. ergo ita dicendum de facto, I. *Præcipinus. C. de Appellat.* cum similibus. Resp. enim, stylum Curiae Romanae procedere duntaxat respectu auctoritati pontificiae, per quam posse obtinei, simulque retineri plura beneficia usque ad congruam sustentationem, nemo negat: secus loquendo de auctoritate, et dispensatione episcopali; prout liquet ex declarationibus sacrae congregationis concilii n. 268. et 269. relatibus.

271. *Atque solvuntur.* — Ad alterum, negatur assumptum. Nam, quod concilium Tridentinum, ubi supra, statuendo jus novum, quandam circa hanc mutationem induxit, patet ex dictis n. 261. et seqq. Et dato, quod verba dicti concilii nonnullam continerent obscuritatem, neque adeo clare istud expressissent: nihilominus ejusdem concilii interpretatio non pertinebit ad pri- vatos auctores, puta, Navarrum, Parisium, et Hoiedam, ob expressam prohibitionem Pii IV. sed duntaxat ad sacram congregationem Concilii, quæ hactenus ita sensit, intellexit, declaravitque memoratum Concilium. Porro, quod hujus Declarationes, si afferantur in debita formâ (prout, si opus fuerit, facile haberi poterant) sint auctoritativæ, vimque obligandi in utroque Foro habeant, ex professo dictum est supra in Procœlio, lib. I. *Decretal.* n. 130. et seqq.

272. *Quid, si alicubi vigeat consuetudo, ut eis unus possit eidem conferre tria bene-* via ad

honestam ejus sustentationem? — Et hæc procedunt spectato jure communi. Nam, si aliqui vigeret consuetudo recepta, atque legitimate præscripta, ut si duo beneficia honestæ clerici sustentationi non sufficiunt, aliud simplex conferatur etiam episcopi auctoritate, non videtur negandum, quin id sola episcopi voluntate fierit possit: prout notat Azorius part. II. lib. VI. cap. xi. quæst. 8. in fin. Idque probatur per vulgata juris principia, tum quia consuetudo rationabilis, et legitime præscripta, derogat juri positivo humano, cap. ult. de *Consuetud.* cum similibus; tum quia consuetudo legitime præscripta tribuit jurisdictionem, c. *Duo simul.* 9. de *Offic.* *Ordinar.* et c. *Cum contingat.* 13. juncta Glossa de *Foro competent.* Adeo, ut virtute ejusdem possit episcopus justa de causa dispensare quoad sacros canones, *juxta dicta superius* lib. I. tit. II. de *Constitutio-* *nibus.* § 18. n. 471. Quanquam consuetudinem esse difficilis probationis, ac proinde non illico asserendam, passim notent doctores cum Glossa fin. cit. cap. ult. de *Consuetud.* Similique hinc excipi debeant tria beneficia sub eodem tecto, conformiter dictis paulo superius n. 211.

273. *Vel, si episcopus conferat tertium, non ad effectum retentionis, sed ut unum ex prioribus dimitatur?* — Additur tamen in data n. 268 conclusione, « sed non ultra duo ad effectum retentionis. » Nam secus dicendum, quando ordinarius habenti duo beneficia, ad honestam ejus sustentationem insufficientia, confert tertium, non ut is omnia tria simul retineat; sed ut adepta pacifica possessione tertii Beneficii, torsa pugnioris, unum ex prioribus dimittat: talis enim collatio tertii esset valida. Barbosa part. III. de *Offic.* et *potest. episc.* allegat. 62. n. 6. citans alos; ac Nicol. Garcias cit. part. XI. de *Benefic.* cap. v. n. 10. referens plures quoad propositum sacræ congregationis declarationes, ac præsertim sequentem. Nam proposita dubitatione, « Primo an si ordinarius conferat tertium beneficium habenti jam duo beneficia simplicia, et dicta duo non sufficient ad sustentationem, talis provisio tertii beneficii sit valida, vel potius nulla; vel per assecutionem tertii vacent omnia dicta priora jam alias obtenta, aut quodnam illorum? » Sacra congregatio censuit, respondendo ad primum, « Collationem tertii beneficii esse validam: sed si tertium sit sufficiens, vacare illa duo priora beneficia sin minus, teneri

provisum dimittere alterum ex ipsis. » Hæc ibi. Concordant dicenda inferius. § seq. n. 287. et 300.

274. *Utrum per longævam consuetudinem induci possit, ut quis plura simul beneficia obtinere et retinere possit?* Loquendo de beneficiis curatis non valeat ejusmodi consuetudo, etiam immemorialis; et cur? — Quæritur V. Utrum per longævam consuetudinem induci possit, ut quis plura simul beneficia obtinere, atque retinere valeat? Resp. I. Loquendo cum primis de beneficiis curatis, non valet consuetudo, etiam immemorialis, obtinendi plures Ecclesiæ parochiales, seu alia beneficia curata in diversis ecclesiis. Ita Abbas. in c. *Extirpandæ*, in *Repetit.* § Qui vero. n. 36. h. t. Joan. de *Selva Tractatum*, tom. XV. tract. de *Benefic.* part. IV. quæst. 3. n. 1; Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *Dispensatio de non residendo.* n. 66. et alii passim; nisi quod Navarrus, consil. 21. de *Cleric. non resident.*; Pirhing, h. t. n. 141. et alii quidam hinc excipiant consuetudinem immemorialis. Ratio conclusionis est: quia ejusmodi consuetudo foret irrationalis; cum sit dam nosa ecclesiis, et periculosa animabus parochianorum: utpote suo proprio rectore atque pastore, cuius industria personalis pro meliori earumdem regimine eligebatur, in perpetuum, vel saltem ad longum tempus destitutis. Foret insuper irrationalis, consuetudo illa, eo quod pugnet contra præceptum divinum, juxta concilium Tridentinum sess. 23. cap. i. de *Reform.* imo et contra jus naturale, quo rector ecclesiæ tenetur personaliter residere, ac vi suscepti officii pastoralis, genere curam commissarum sibi ovium Christi: istud enim præstari non posset, stante consuetudine retinendi plura beneficia curata in diversis ecclesiis. Atqui consuetudo irrationalis, et pugnans contra jus naturale, et divinum, nullo unquam tempore, etiam immemoriali, induci potest, cap. ult. de *Consuetud.* cum similibus; ergo. Concordant dicta superius tit. præced § 5. n. 158, et 159. ubi et fundamentum Navarri, atque illorum, consuetudinem immemorialem admittentium diluitur.

275. *Idem dicendum de consuetudine obtinendi, præter canonictum, duos personatus, dignitates, etc. in eadem ecclesia.* — Resp. II. Loquendo de beneficiis curam animarum non habentibus, nulla pariter consuetudine, etiam immemoriali, fieri potest, ut « Canonici duos personatus, aut duas di-

gnates, vel præposituras, seu administrationes, aut duo officia (perpetua) vel eorum alterum cum reliquo (puta, dignitatem eum personatu, vel præpositura cum officio perpetuo, etc.) possint in eadem ecclesia licite absque dispensatione sedis apostolicæ obtinere. » Ita Textus, Glossa, et doctores in cap. i. de *Consuetud.* in 6. Ubi Pontifex ejusmodi consuetudinem « Corruptelam (cum sacris sit inimica canonibus, et de ambitionis radice processerit) reputans, eam auctoritate apostolica reprobavit: » siveque veluti irrationalis, et cui jus ipsum resistit, nullo unquam tempore introduci potest, c. *Cum venerabilis.* 7. et cap. ult. de *Consuetud.* estque amplius dictum supra lib. I. tit IV. de *Consuetudine.* § 1. n. 36. 37. et 45. Cæterum, quod his non obstantibus, de consuetudine possit quis in eadem ecclesia præter canonictum, obtinere præposituram, vel dignitatem etc. dictum est supra. § præced. n. 210. et n. 238. et 239.

276. *Nulla consuetudine, etiam immemoriali, potest induci, ut quis licite retineat plura beneficia, quando unum eorum sufficit ad honestam ipsius sustentationem. Quid dicendum de nonnullis aliis talibus consuetudinibus?* Remissive. — Resp. III. Nulla consuetudine, etiam immemoriali, potest, induci, ut quis licite recipere simulque retinere valeat plura beneficia, quando unum eorum ad honestam talis beneficiarii sustentationem sufficit. Patet istud ex dictis supra. § 8. n. 214. 215. 216. et seqq. Quod ipsum ampliatur ad consuetudinem retinendi duos canonici diversarum ecclesiarum Germaniæ, juxta dicta superius. n. 229.

Facientur nonnulli alii casus, in quibus valere consuetudinem quoad pluralitatem beneficiarum, necne, dubitari posset, nam de his vel in propriis locis videri poterit, ut paulo superius n. 210. et 211. ac seqq. et cit. n. 229. et n. 242. et alibi. Vel recurrentur etiæ in generalia principia juris, quæ quoad propositum tradi solent, atque supra lib. I. tit. IV. de *Consuetudine*, per totum, ex professo tradita fuerunt: quanquam principaliora eorum ex proxime dictis colligi, atque ad alios consimiles casus applicari valent.

DE VACATIONE BENEFICIORUM PER ASSECUTIONEM
ALTERIUS INCOMPATIBILIS.

277. *Qua ratione successive statutum fuerit, ut per receptionem secundi beneficii incompatibilis vacaret prius?* Concordia tempora, et concordabis jura. — Quæritur I. Qua ratione a sacris canonibus successive statutum fuerit, ut per receptionem secundi beneficii incompatibilis vacaret prius? Et additur notanter, « successive: » nam impræsentiarum specialiter sibi locum vindicat illud vulgatum, *Concordia tempora, et concordabis jura;* quod desumitur ex can. *Si peccaverit.* 2. q. 1. juncta Glossa can. *Si Ecclesia.* 23. q. 4. §. *Temporibus.* Siquidem pro temporum varietate, atque exigentia, diverse desuper emanarunt decretales, atque constitutiones apostolicae, quarum posteriores semper agravarunt rigorem priorum; siveque a præcedentibus nonnulli discordant.

278. *Quinque tempora quoad propositum sunt distinguenda.* — Notandum est cum Abbat. c. *Quia nonnulli.* n. 4. de *Cleric. non resident.* Garcias, part. II. de *Beneficiis*, cap. v. n. 1. et seqq. Fagnano in c. *Referente*, n. 6. h. t. et aliis communiter, quod pro recta intelligentia, et conciliation, seu concordia sacrorum canonum, quantum ad propositum, quatuor tempora sint distinguenda ante concilium Tridentinum; quibus de facto oportet addere quintum tempus, videlicet tempus post memoratum Tridentinum.

279. *Primum tempus, erat ante concilium Lateranense.* — Et quidem primum tempus erat ante concilium Lateranense, celebratum sub Alexandro III. anno Domini 1179. quo tempore habens duas ecclesiæ parochiales, vel dignitates, compellebatur quidem alteram dimittere, sed data optione, quam maluerat, eligendi, atque retinendi; siveque neutra vacaverat ipso jure. Et pro hoc tempore procedit c. *Referente.* 7. et c. *Præterea.* 14. h. t. quorum utrumque fuit editum ab Alexandro III. ante memoratum Lateranense concilium; prout desumitur ex superscriptione ipsorum, et notat Abbas cit. n. 4. Verum tamen dispositio horum capitulorum successu temporis fuit immutata; et an de facto locum adhuc habeat in uno, vel altero casu, dicetur infra n. 282. et 283.

280. *Secundum, ejusdem concilii Lateranensis sub Alexandro III.* — Secundum tempus est dicti concilii Lateranensis, sub Alexan-